

*De uno Nationali Consiliario, ad Cancellariam Regiam Hungarico-Aulicam applicando.*

Articulus 35.

Quod Sua Majestas Sacratissima, circa applicandum ad Cancellariam Regiam Hungarico-Aulicam unum Nationalem ex parte Regnorum horum Consiliarium, pro idoneitatis ac meritorum ratione, benignam Nationis Croaticae se habituram considerationem, clementer resolvere dignata sit, homagiales in subditali devotione iidem Status et Ordines gratias reponunt.

*De abrogandis per Statum Militarem practicari solitis diversi generis Exactionibus.*

Articulus 36.

Cum nulli Dominorum Terrestrium, aut Jure Terrestrali gaudentium liceat consumptibilia, ac cujuscunque generis merces, quae ad eorum Territorium venales advehuntur, aut alio permeant, Exactione quapiam gravare, quin speciale Privilegium Regium desuper fuerit impetratum, Sua Majestas Sacratissima eas se facturam Ordinationes, clementer resolvere dignata est, ut omnes ejusmodi Exactiones, quae ex parte Status Militaris sive in Varasdinensi Generalatu; sive in Carlostadiensi, aut Eszekiensi Confinio practicari remonstratae fuerint, prompte una et efficaciter tollantur.

*De abrogandis, quae Status Militaris in Jurisdictione Provinciali induxit, Educillis et Macellis.*

Articulus 37.

Sua Majestas Sacratissima clementer assentitur, ut usurpata per Statum Militarem Educilla et Macella, tam Varasdini, quam etiam alibi, ubi Status Militaris Jure Dominii Terrestralis non gaudet, per elargiendos sua via Ordines, sufferantur.

*De Appellatis ex Tabula Banali Causis.*

Articulus 38.

Ut Causae natura sua extra Dominium appellabiles, in Articulo 28. An. 1715. alioquin specificatae, non attenta summae quantitate, adeoque Art. 58. An. 1741. Dispositione imposterum etiam ex Tabula Banali extra Dominium transmittantur, communi Suae Majestatis, Statuumque et Ordinum Regni assensu, statuitur.